

Johann Daniel Denso

Meditata Ad Avtores Classicos. Manipvlvs Primvs : Qvibvs Ad Orationes, Ad Diem VI. Septembris, In Evergetarvm Memoriam Habendas

Wismariae: Litteris Wincklerianis, [1759]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1833263537>

Druck Freier  Zugang



4°

Mkl h

20 20-4°


(1753)



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1833263537/phys_0001

DFG

 ME
05. Aug. 1999

Med. h. 2020-40

MEDITATA AD AVCTORES CLASSICOS.

MANIPVLVS PRIMVS.

QVIBVS

AD ORATIONES,

AD DIEM VI. SEPTEMBRIS,

IN

EVERGETARVM

MEMORIAM

HABENDAS,

OFFICIOSE INVITAT:

IOANNES DANIEL DENSO,

PROFESSOR ET LYCEI RECTOR.



WISMARIAE,

LITTERIS WINCKLERIANIS.

[1759]

INSTITUT FÜR ANATOMIE UND HISTOLOGIE

ANATOMIE UND HISTOLOGIE


ANATOMIE UND HISTOLOGIE

A64-13935
Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

ANATOMIE UND HISTOLOGIE

ANATOMIE UND HISTOLOGIE





n iis, quae ad pubem formandam faciunt, singulari cautione opus est quam maxime, & in graeci latinique sermonis ante omnia studio, quo tot anni misere teruntur, molesti itineris compendia circumspicienda sunt: ne ieiuno vocularum venatu aetas labatur, quam dudum diuinarum humanarumque rerum scientia imbui oportuerat. Hinc est, quod Beneuoli Lectoris veniam sperem, dum pauca, quae ex vsu pueritiae fore credidi, *de veterum scriptorum editionibus*, profero, & primo quidem

De interpretationibus Classicorum auctorum.

Veteres scriptores aliqua interdum luce egere, qui neget, neminem fore existimo: inde antiquitus iam graeci & latini scriptores coeperunt scholiorum ope collustrari: neque sequiores sua laude defraudandi sunt, qui horum industriam imitati, notis, quas dicunt, has egregias antiquitatis reliquias explicatas

dedere. Praesertim eo tempore, quo renascerentur, optime eiusmodi conatibus litteris melioribus consultum fuit, quod spissis adeo tenebris obiecta iaceret eruditio, vt latini sermonis regulae nescirentur, ne dum promulgata esset dicendi scribendiae norma.

Quanta id industria tum egerint viri praestantiores, solum Nicolai Perotti exemplum sufficiet, cuius in Martialem commentarius, adeo per singula est diffusus, & in tantam molem excreuit, vt lexicum latini dein praestiterit vicem. Pari studio, ante & post hunc aliquanto, praelegere antiquos auctores clarissimi viri, vt vix posteris reliqui quidquam fecisse viderentur. Namque; vt tum erat librorum bonorum penuria, & vt rara erat latine scientium gens; etiam minuta sequi interpretes decebat: in hac nostra luce, in tanta librorum copia, isthaec operose consecrari, nihil est aliud, quam obtundere iuuentutem, & studio male sedulo magistrorum fidem occupare. Sed; quod est vel scribendi cacoethes, vel vulgaris maxime inter doctos honoris peruersa cupido; ita intra hoc stadium grassari coeperunt eruditi, vt nullus sit veterum scriptorum, quin suis notulis stipatum emiserint, nullus itidem ferme, in quem non plurimi sua congefserint medicamenta.

Videbant ergo prudentiores, sua explicationum mole laborare veterum scripta: tum quod centies recocta adponerentur, tum quod impares huic negotio istud adgressi essent, tum denique, quod Diogenem agerent commentatores, & in ipso meridie lucernam circumgestarent: quod vt late minus serperet malum, suo modestiae exemplo non integros veterum libros colligere, sed ad plures obseruata colligere in libellos, & obseruationum, variarum lectionum, quaesitorum, electorumque, alioque vario nomine, emittere viri clari maluerunt. In quo sane relictus factum est quam in proletario isto notularum officio.

Jam deferbuisset istud commentandi studium videri poterat. sed rediit in praecordia pestilens ambitionis ardor, vt neque infimi subsellii paedagogus a labore adeo arduo abstineret infirmos satis humeros: immo vt hoc honoris pariundi artificium callide multi-

multiplicaretur. Qua ex re non vnus generis noui commentatores exsistere. Alii, quod sibi domi non commoda satis nascerentur, compilauere aliorum obseruata. Neque hi vno modo. iam integras aliorum notas congesere: iam carptim, ex singulorum messe spicilegio instituto, explendi discentium desiderii satagere videri voluerunt. Vtrumque non ex litteratorum vsu. Illi enim, cum omnium integris, cum variorum omnibus notis, tumidi auctores, nisi in bibliothecarum pompam, aut in librariorum quaestum comparatos existimas, quanto dispendio emuntur! Hi, quorum quasi florilegium est, minus satis faciunt peritorum votis; quod vel libros, ex quibus boni homines excerpere, possident, vel quod vident inconsulto in extrahendo actum esse.

Lepida est circa hanc rem rixa, quae Petro Burmanno fuit cum Claudio Capperonero, de noua M. F. Quinctiliani editione: in qua mordaci descriptione; qua plus aequo pollebat iste Batauus: male feriatorum interpretum insanias perstrinxit: epistola satis ampla, Leidae 1726. 4. emissa.

Adde huc, si placet, congestam lectionis varietatem & totis plaustris coniectam, in quibus tantum abest, vt lucri hilum faciat pubes, vt potius certa sit numulorum iactura: sic vti sanioribus praepostera isthaec consarcinandi assiduitas iure suo risum debet. Editoris fidei, non audaciae, permessa sit lectionis certa ratio, & cuius non valet ad hanc rem iudicium, nae! is manus abstineat illotas ab istis antiquis voluminibus.

De geographicis tabulis, quas magno interdum numero scriptoribus vetustis adsuunt, non magnificentius sentio. Quorsum haec pueris, quos hodierna orbis facies latet? Quorsum scopae huius modi dissolutae toties coemendae? quas vbi doceri velis, quodam inter se nexu, & integro itinere, maturiori aetati proponas. Adde, quod in tenera aetate, cui Nepos teritur aut Caesar, obfutura magis sit veteris geographiae cura: quia limitum diuersitas facile perturbare discipulorum memoriam possit. Qua re CL. Cellarius; quod in praefatione sapienter monuerat; veterem a noua geographia seiunxit atque separauit. Qua ratio-

ne heic scholis prospiciatur commodissime, Anglorum gens exemplo est. Emisit Samuel Patrik laudati Cellarii geographiae antiquae elementa, addidit ex eiusdem orbe antiquo XXVIII. chartas, ampliffimisq; indicibus scholarum vsibus accomodauit, Londini; c1o 10cc xxxi, 8. Qui libellus exiguae molis, pro nostris scholis recusatus, prouectioribus satis sit in hac re facturus.

Eadem fere est imaginum in aes incisarum ratio, quantumuis enim declarant antiqua dilucide, ita tamen dispersa pluribus locis minus iuuant, quae iunctim comprehensa adprime forent conductura. Memini etiam ante septenos ferme annos antiquitatis quasdam tabulas prodire incipere, quod vtinam incoeptum eo prodiret, vt hinc haberet iuuentus omnia, quae oculis fidelibus subiici necesse esset.

Num vero post tot ausus famae in huius generis labore periculum fieri desit? Nequaquam. Reperti sunt plurimi numero, qui circumuestirent veteres scriptores, vel suis potius centunculis deformarent: quod; dum ob hos libellos frequentissime adirentur officinae librariae; sin honoris minus, aliquantulum tamen lucelli sperari poterat. Fuere, qui tirunculorum commoda praetenderent, & nil, nisi protrita, & vulgaria adlinerent, atque inepta, vt credas, ex ignorantia gloriam exspectauisse. Non satis opprobrii fuit, Minelliana habere exempla, ad horum modum multo insulsa magis excudebantur, vt seros germanorum nepotes pudere Hartnaccianarum, Junkerianarum, & similibus nugarum, necesse futurum sit. Longius itum est, & germanice exponi veterum sensa coepere, itaque demum captui iuuentutis accommodata credita sunt. Videbatur, fateor, sanior explicandi ratio, si vernaculo sermone infitueretur nouitius lector, quam si haberet subscripta iuuenis, multo, quam ipsius auctoris verba, obscuriora. Sed neque hoc modo satis vsui discentium prospectum est. Nam ne dicam, insulsa circumlocutione; in qua nec patrii sermonis puritas seruata sit; rem ferme omnem absolui: mera verba verbis reddi: nihil admodum, aut corruptum adparere, historiae, antiquitatis, rituumue: quid referebat, in tantum exaggerari librorum amplitudinem? Nihil attendunt mentem ad doct-

ris

ris praecepta pueruli, dum ad subfignata despiciunt, & satis isthinc habere subsidiorum sperant. Diuturna me docuit experientia, vbi inter plures discipulos, hi essent, qui germanice explicatum lecitarent scriptorem, illi qui integrum latinum manibus versarent, hos illos longo post se interuallo reliquisse: quod operam darent doctori audiendo, sine quo progredi posse desperarent, quo duce sensim se progredi laeti experirentur. Non sine pudore addo, magistros esse, qui ex his solis sapiant, & ab his solis instructi aut risui sint discipulis aut exiguo satis emolumento. Vnde sequitur, aut plane istis notulis supersedere posse iuuentutem, quam non vitio creatus doceat magister, aut omnibus, aut nullis aliis indigere, nisi quae rem ipsam declarent: de sermone exponere, atque eius vsum instillare, id vero praeceptoris esse: germanicis tandem illis commentationum monstris nil nisi desidiam, oscitantiam aut fortassis adeo docentis neglectum propagari. Qua occasione obseruare mihi liceat, apud alias gentes, quantum quidem memini, hunc morem nondum adoleuisse.

Sed dicere pergo:

De emendationis cura.

Celsa laus est typographicarum officinarum veterum; quae expurgandis exemplaribus viros litteratissimos praeficerent, & nisi emendatissimos, suos libellos exire non paterentur; Aldinae, Juntinae, Stephanianae, Plantinianae, Frobenianae: quas aemulabantur feliciter Torrentinus, Vascosanus, Gryphii, Wechelii, Wetstenii, reliqui. Hac nostra aetate supina in his est desidia, dum opellam vendit interpres, bibliopola lucrum habet, non gloriam, quod piscetur, & recognoscendis auctoribus imperiti aut negligentes adhibentur, vt quorum poenitenda sit in herculeo labore merces. Hinc fit, vt mendis scateant auctores, & per dumos, spineta & tesqua distrahatur misera pubes, & haereat in impeditissima via saepe cum magistro discipulus.

Ante omnia vero interpunctiones verborum adeo posthabentur, vt quo se vertat nesciat tiro, & magistro saepe aqua haereat,

haereat, dum male cohaerens sermo, neque commode distinctus, dignosci non possit. Res primo intuitu parua, dici non potest, quanto opere impediatur iuuentutem, & quantum intersit scholarum, in hoc cautius agi atque studiosius. Ac si, quod res est, dicendum sit, accuratissimi caeteroquin editores non satis pensi hanc rem; rem tamen tanti momenti! habuere. Quare eo magis danda nobis est opera, ut facilius in his iuuentuti via sternatur. Nisi longum nimis pro instituto esset, sexcentis id exemplis demonstratum darem: sed alibi rectius de isthoc dicetur. At quum praecipue in Poetarum scriptis haereat discenti aqua, incidit non nunquam, numne consultum esset, heic verborum sequelam numeris designare, quod fecerunt iam, qui borealium vatum carmina apud Suetos Danosque explicatum iuere. In praesentia vno Ouidiano exemplo res patebit:

6	7	2	1	5	4		
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos							
	3	1	5	2	3	4	6
Ducit, et immemores non finit esse sui.							

Haec eo, sed paucissimis, a me disputata sunt, ut de eo conueniat inter eruditos, tum quae sint commodissima iuuentuti Auctorum classicorum exemplaria, tum quae in his emendanda posthac ventura sint, atque communibus suffragiis sciscenda: Haec ego rogo: velit, iubeat, nolit; uti libet; eruditus orbis.

- I. Praestat scriptor, sine vlllo interpretationum adparatu, alteri promiscuo earum cumulo obruto.
- II. Notulae marginibus illitae, quae nil nisi lectionis varietatem, & tritas sermonis regulas, crepant, merito damnantur: quod haec talia rectius ex magistri ore, & ex lexicis & libris grammaticis excipiuntur.
- III. Observationes antiquam historiam & ritus explicantes rectius in indice quodam libello ad finem exhibentur, quam

quam in inferiore pagina: quod non esset hoc modo, quod lectionem impediret, sed quo se praepararet ad legendum, & ad intelligendum instruat, bonae mentis discipulus.

IV. Germanicae antiquorum scriptorum interpretationes, vel vti negligentiae puluina, suo iure caeteris postponantur: immo, nisi durior habear, ex scholis exesse iubentur.

V. Quaecumque exemplaria, omnium aut variorum obseruatis, ambitiosa sui magnitudine, aut variae lectionis mole, turgent; vt gallica solent in vsum Delphini tantum non omnia; non scholis, sed bibliothecis exscripta censenda sunt.

VI. Tabularum geographicarum frequentia & imaginum in aes incisarum, beatorum luxui faciunt satis; iuuentutem vero; etiam si res ferat; parum iuuant.

VII. Damno magis quam subsidio est auctoris liber, cui ex scribendo non impensa fuit omnis diligentia, vt a mendis, quantum vniquam patitur humana conditio, purus prodeat. Et erat eorum, qui de libris censent publice, eiusmodi impuris chartis, quas sordida librariorum auaritia protrudit, notam inurere.

Non equidem nescio, iam subinde cordatiores haec perspexisse, & ab omnibus obseruationum crepundiis scriptores immunes prodidisse. praesertim CL. Milleri consilium laudem meretur, quo Berolini hactenus prodire castigati magis auctores classici. sed restant non pauca, quae vltiore diligentia in iuuentutis vsus elaborentur. De iis ego, data occasione, pro virium modulo, plura prolaturus sum, quibus haec mea dilucidius possint explanari. Intelligo etiam, necesse fore, vt pluribus exemplis prolata adstruam, & simul horum mihi pacem conciliem, quibus candide dicta potuerint stomachum mouere: quamlibet in cuius-

B


quam

quam me offensam incursum non putem facile, cui iuuentutis
salus prima lex, prima haec scribendi fuerit causa.



Jam de eo dicendum est, cuius causa haec a me praemissa
sunt. Fuit nobis celebranda beneficiorum memoria, quibus no-
stram scholam maclauere candidissimae animae, *PETERSENIUS*,
VELTHUSIUS & optima matrona *SCHMIDIA*, & quibus, quae
DEI est gratia, in ipso bellorum strepitu perfrui-
mur. His, quos haec sollemnia peragere mentis gratae leges iubebant, alii se ora-
tores addidere: quibus omnibus: *Romae per Gallos expugna-
tae*, ex Liuii nostro, peroranda data est historia, ut cum hac
conferrent nostrae Germaniae miserias, & auditores ad clarissi-
mae liberationis spem excitarent. Sunt in meis etiam, *PETRUS*
VELTHUSEN, Vismariensis, & *GEORGIUS GVLIELMUS*
HANSEN, Gustrouienfis; qui proprio Marte conscripta oratione
Vale nobis sunt dicturi, quibusque iter ad academiam gratulamur

Rogamus autem, *Patronos, Maecenates & amicos*, sub-
misse officiose atque decenter, velint gratiose & propense audi-
re, qui ad diem VI. Septembris, hora III a meridie, in auditorio
nostro maiori, eo, qui sequitur consignatus, ordine prodibunt,
& dum frequentes adsint *Fautores*, ad liberales conatus egregie
excitabuntur.



Scripti die V. Septembris cIo Idcc LVIII.



Ver-

Verzeichniß der Redner.

1. Joan Daniel Denso, aus Stargard in Pommern,
2. Joan George Hase, und
3. Erich Christian Klevesahl, beide aus Wismar, beginnen die Handlung.
4. Klevesahl, spricht hiernächst von der Ankunft der Gallier.
5. Joan George Westphal, aus Wismar, von der ersten Anstalt der Römer.
6. Otto Heinrich Meyer, aus Brunshaupt, von der verlohrenen Schlacht, und Flucht.
7. Joan Martin Tidemann, aus Wismar, von den Berathschlagungen zu Veii.
8. Thomas Günther, aus Greifswald, klagt über die Hetrurier.
9. Hase, meldet derselben Niederlage.
10. Joan Wilhelm Fürchtnicht, aus Wismar, erzählt verschiedner Römer Heldenmut.
11. Joan Andreas Steffens, aus Wismar, erzählet des Papius Beleidigung und Erwürgung des Rahtes.
12. Carl Anton Schomerus aus Wismar, hält des Camillus Rede an die Ardeater.
13. Joan Nicolaus Bandelin, aus Rhen, erzählet das Glück der Römer durch die Wachsamkeit der Gänse.
14. Christian Friedrich Forch, aus Wismar, beschreibet die kühne Reise des Pontius.
15. Joan Wilhelm Ehrenfried Schulz, aus Dellitsch, meldet der Römer furchtsames Vorhaben Rom zu verlassen.
16. Gustav Heinrich Dahlmann, aus Stralsund, hält die Rede des nach Rom zurückgekommenen Camillus.
17. Joan Heinrich Schmiedekampff, aus Kriviz, meldet den herelichen Sieg des Camillus.
18. Denso vergleicht das Schicksal von Rom mit dem iezigen Zustande von Deutschland.
19. Peter Velthusen aus Wismar, zeigt Gottes unerwartete Rettung;

20. **Joan Christoph Schliemann**, von Pöhl, lehrt, Gottes
gütige Weise sei, den Zucker bei die Ruhe zu legen, lateinisch:

21. **George Wilhelm Hansen**, aus Güstrow, zeigt die Wol-
thaten Gottes in bedrängten Zeiten, lateinisch:

Diese drei ehren zugleich das Andenken des Wolseeligen Herrn
Peterßen:

22. **George Christian Warneke**, von Wendischhof, wie die
Sonne bei trüben Stunden aufgehe:

23. **Just Friedrich Rämker**, aus Neu Brandenburg, weist,
wie GOTT durch Erniedrigung erhöhe:

Diese ehren das Gedächtnis des Wolseeligen Herrn Rachts-
verwandten **Jean Gorge Velthufens**.

24. **Joan Heinrich From**, aus Gadebusch, spricht, GOTT
gibt für Schmach Ere:

25. **Joan August Stark**, aus Schwerin, beweiset, Wismar
habe gegründete Hofnung göttlicher Gnade:

26. **Hermann Dieterich Parlach**, aus Wismar, ermahnet sein
werthes Vaterland zur Dankbarkeit:

Diese begehen dankbarlich das Andenken der Wolseeligen Frau
Lieuteuant **Schmidin**.

27. Den Schlus machen in einem Gespräche:

From, griechisch:

Parlach, deutsch:

Schliemann, schwedisch:

Denso, holländisch:

Warneke, lateinisch:

Schulz, französisch:

Stark, hebräisch.



~~71~~
~~71~~
~~72~~
~~72~~
~~70~~
~~71~~
~~72~~
~~71~~
~~71~~
~~72~~
~~72~~
~~71~~
~~71~~
~~72~~
~~72~~
~~67~~
~~70~~
~~71~~
~~68~~
~~72~~


LBMV Schwerin 33



33\$00081881X







inferiore pagina: quod non esset hoc modo,
tionem impediret, sed quo se praeparet ad le-
, & ad intelligendum instruat, bonae mentis
is.

nicae antiquorum scriptorum interpretationes,
negligentiae pulvinaria, suo iure caeteris postpo-
immo, nisi durior habear, ex scholis exesse iu-

umque exemplaria, omnium aut variorum ob-
, ambitiosa sui magnitudine, aut variae lectionis
turgent; vt gallica solent in vsum Delphini tan-
n omnia; non scholis, sed bibliothecis exscrip-
enda sunt.

arum geographicarum frequentia & imaginum in
sarum, beatorum luxui faciunt satis; iuventutem
etiam si res ferat; parum iuuant.

no magis quam subsidio est auctoris liber, cui ex
do non impensa fuit omnis diligentia, vt a men-
tantum vnquam patitur humana conditio, purus
. Et erat eorum, qui de libris censent publice,
li impuris chartis, quas sordida librariorum aua-
trudit, notam inurere.

dem nescio, iam subinde cordatiores haec per-
omnibus obseruationum crepundiis scriptores im-
: praesertim CL. Milleri consilium laudem mere-
ni hactenus prodire castigati magis auctores clas-
non pauca, quae vltiore diligentia in iuentu-
ntur. De iis ego, data occasione, pro virium
rolaturus sum, quibus haec mea dilucidius possint
lligo etiam, necesse fore, vt pluribus exemplis
, & simul horum mihi pacem conciliem, quibus
otuerint stomachum mouere: quamlibet in cuius-

B

quam